

RENATUS UGLIONE

INTERPRETATIONES TERTULLIANEAE
(De Monog. 1, 1; 8, 2; 8, 6)

EX IV LIBELLO COMMENTARIORUM
QUI LATINITAS INSCRIBUNTUR
MENSE DEC. A. MCMLXXIX EDITO

Latinitas Christiana

INTERPRETATIONES TERTULLIANEAE

(*De Monog. 1, 1; 8, 2; 8, 6*)

« Haeretici nuptias auferunt, psychici *ingerunt*. Illi nec semel, isti non semel nubunt ».¹ Sic Tertullianus exorditur in opusculo *De monogamia* inscripto, protinus adversarios proferens. Etenim is — ut ait Christina Mohrmann — « longiora exordia non diligit, immo abrupte materiam aggreditur contrariaque exponit in primis ipsis sententiis non numquam acerrimis et contentiosis ».² Videamus quinam sint Tertulliani adversarii. *Haeretici* intellegendi sunt — sicuti plerique docti viri opinantur — Marcionis sectatores qui cunctis Christianis absolutam iniungunt continentiam, odio Dei creatoris operumque eius.³ *Psychici* autem catholici nuncupantur, qui et secundas nuptias concedunt, contra *Spiritalium* (i.e. Montanistarum) disciplinam eas revocantem.⁴ Illos *spadones*, hos

¹ Monog. 1, 1. In referendis Tertullianeis locis, adhibita est editio: *Tertulliani opera, Corpus Christianorum (Series Latina)*, I-II, Turnhout 1954.

² « (Tert.) n'aime pas les exordes longs, mais il entre brusquement en matière. Dans les premières phrases de ses traités, le plus souvent d'un caractère polémique, il donne un exposé des théories de ses adversaires » (CHR. MOHRMANN, *Observations sur la langue et le style de Tertullien*, in « Études sur le latin des Chrétiens », II, Roma 1961, p. 241).

³ Coniugium a Marcione « accusatur spurcitiae nomine in destructionem creatoris, qui coniugium ... benedixit » (*Marc. I, 29, 2*): cf. quoque *ib. V, 15, 3* « destructores Dei nuptiarum, non sectatores castitatis retundo ». Nam οἱ ἀπὸ Μαρκίωνος... μὴ βουλόμενοι τὸν κόσμον τὸν ὑπὸ τοῦ δημιουργοῦ γενόμενον συμπληροῦν, ἀπέχεσθαι γάμου βούλονται... καὶ οὐ τῇ προαιρέσει γίνονται ἐγκρατεῖς, τῇ δὲ πρὸς τὸν πεποιηκότα ἔχθρᾳ, μὴ βουλόμενοι χρῆσθαι τοῖς ὑπ’ αὐτοῦ κτισθεῖσιν. (CLEM. AL. *Strom. III, 3, 12, 1*; ed. O. Stählin, GCS, 1906, pp. 200-201).

Apud Marcionem matrimonium igitur φθορὰ καὶ πορνεία (IREN. *Adv. haer. I, 28, 1*) aestimatur neque « tingitur apud illum caro, nisi virgo, nisi vidua, nisi caelebs, nisi divortio baptismum mercata » (TERT. *Marc. I, 29, 1*; cf. quoque *ib. IV, 11, 8*: « coniunctas non admittit, neminem tingit nisi caelibem aut spadonem, morti aut repudio baptismum servat »).

De Tertulliani cum Marcione contentione, cf. A. v. HARNACK, *Marcion: das Evangelium vom fremden Gott*, Leipzig 1924² [TU 45], pp. 328 sqq.

⁴ Tertullianus *spiritales* (i.e. Montanistas) *psychicis* (i.e. Catholicis) opponit veluti Paracleti discipulos carnis sectatoribus (cf. *Prax. 1, 6*: « Et nos quidem postea agnitio Paracleti atque defensio disiunxit a psychicis »; *Monog. 1, 3*: « Sed psychicis, non recipientibus spiritum, ea quae sunt spiritus non placent. Ita quibus quae sunt spiritus non placent, ea quae sunt carnis placebunt, ut contraria spiritus »).

*aurigas*⁵ Tertullianus per ludibrium appellat in ipso — ut ita dicam — libelli limine.

Sed nunc quid *ingerunt* significet illustrem oportet. Henricus Hoppe in amplissimo illo opere de sermone Tertullianeo cui *Syntax und Stil des Tertullian*⁶ index est, verbum *ingerere* hoc loco illustrat tamquam « aufdrängen », « einschärfen »⁷ (latine: « impone-re », « iniungere », « praescribere ») significet. Neque aliter sentit V. P. Le Saint qui hunc locum sic anglice vertit: « Heretics repudiate marriage; Sensualists encourage it ».⁸ Re quidem vera, si contextum orationis bene perpendas, haud recte hi videntur verbum hoc esse interpretati. Propterea enim Marcionitae et Catholici inter se dissentunt, quia « illi nec⁹ semel, isti¹⁰ non semel nubunt »,

Quae vocabula a Paulo (cf. *1 Cor.* 2, 14) plane ille est mutuatus, gnostisique quos appellant, qui homines in partes tres distribuunt: ὄλικούς, ψυχικούς, πνευματικούς (cf. IREN. *Adv. haer.* I, 5, 6 et passim).

Ad rem quod attinet potissimum usui erit P. DE LABRIOLLE, *La crise montaniste*, Paris 1913, pp. 138-143.

⁵ *Monog.* 1, 1.

Quod pertinet ad verbi *auriga* interpretationem, nobis subvenit Varro in *Rer. Rust.* II, 7, 8, ubi « de admissura equarum » agit: « admittere (scil. *equum*) oportet, cum tempus anni venerit ... per origam: sic appellatur qui qui admittit ». Metonymia vocabulum hoc pro *admissario* hic adhibetur (cf. V. BULHART, *Tertullian-Studien*, in « Oesterr. Ak. der Wiss. » [Phil.-Hist. Klasse 231], Wien 1957, p. 23), asperrima illa acerbitate in *Catholicos* quae est propria Tertulliani.

De « ironia » et acerbitate quae Nostro ingenitae sunt, cf. quae dixi in *Latinitas* a. 1977/III (R. UGLIONE, *Tertulliani scribendi genus in opusculo quod « De monogamia » inscribitur*, pp. 172-173).

⁶ Lipsiae 1903.

⁷ *Op. laud.*, p. 133.

⁸ *Tertullian. Treatises on Marriage and Remarriage*, in « Ancient Christian Writers » 13, Westminster Md. 1951, p. 70.

⁹ Hic *nec* plane pro *ne...* *quidem* adhibetur: cf. *infra* 11, 10 « quia *nec* hic secundus maritus deputabitur »; *ib.* « licet *nec* hoc psychici current »; 12, 3 « ille vester Utinensis *nec* Scantiniam timuit ». Ad rem quod attinet vide H. HOPPE, *Op. mem.*, p. 106; E. LOEFSTEDT, *Philologischer Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae*, Uppsala 1911, pp. 88 sq.; *Id.*, *Syntactica*, I, Lund 1942², pp. 338 sqq.; G. THÖRNELL, *Studia Tertulliana*, IV, Uppsala 1926, p. 14; I. SCHRIJNEN - CHR. MOHRMANN, *Studien zur Syntax der Briefe des hl. Cyprian*, I, Nijmegen 1936, p. 33: « *nec* [*neque*] findet sich öfters im Sinne von *nequidem* im Altlatein (so bei Plautus), im Vulgärlatein (so bei Petronius), im Spätlatein (seit Apuleius), und besonders auch im altchristlichen Latein: z. B. findet es sich bei Tertullian, Ambrosius, Augustin ... ».

¹⁰ De usu pronominis *iste* pro *hic* in Latinitate seriore, confer quae dicunt I. B. HOFMANN - N. SZANTYR (*Lateinische Syntax und Stilistik*, München 1965, p. 180: « *is*, *hic*, *idem* ... werden in steigendem Maße durch die laut- und sinnstärkeren *ille*, *iste*, *ipse* ersetzt ») et E. LÖFSTEDT (*Syntactica*, II,

non equidem quia illi nuptias interdicant, hi autem praescibant. Hoc est profecto Tertulliano propositum in opusculo de quo agimus: secundum, non unum matrimonium reicere, ut paulo infra ipse affirmat: « Nos autem, quos spiritales merito dici facit agnitus spirituum charismatum ... *unum matrimonium* novimus, sicut unum Deum ».¹¹

Quibus rebus perspectis, verbum *ingerere* hic nihil aliud significare ducimus quam « *aggerere* », « *multiplicare* », ut quidam Tertulliani interpretes intellexerunt.¹²

* * *

In cap. VIII eiusdem libelli auctor noster virginitatis et monogamiae laudes praedicat, multis exemplis e Novo Testamento excerptis usus: « Nunc ad legem proprie nostram, id est euangelium, conversi, qualibus excipimur exemplis, dum ad sententias peruenimus? Ecce statim quasi in limine duo nobis antistites Christianae sanctitatis occurrunt, monogamia et continentia, alia pudica, in Zacharia sacerdote, alia integra, in Ioanne antecursore ... Et

Lund 1933, p. 47), qui quandam notat « stark erweiterte Machtstellung von *ille*, *iste*, und *ipse* im Spätlat. ». Cf. quoque H. HOPPE, *Op. mem.*, p. 104; A. ERNOUT - F. THOMAS, *Syntaxe latine*, Paris 1964², pp. 190-191; J. SCHRIJNEN-CHR. MOHRMANN, *Op. mem.*, I, p. 155.

¹¹ *Monog.* 1, 2. Cf. *Exh. cast.* 7, 6: « unus Deus, una fides: una sit et disciplina ».

Iam probe recteque P. DE LABRIOLLE (*Op. laud.*, p. 391) annotavit: « il n'est guère de traité où le sophisme abonde autant que dans le *De monogamia*. C'est presque à chaque paragraphe qu'on le découvre embusqué ». Exempla ad quod attinent in omni fere opusculo disseminata invenias: cf., ex. gr., 7, 5: « non nubet defuncto viro uxor, fratri utique nuptura, si nupserit. *Omnes enim nos fratres sumus* »; 7, 8: « nam et illum adulescentem festinantem ad exequias patris ideo revocat, *ut ostendat sacerdotes nos vocari ab eo, quos lex vetabat parentum sepulturae adesse* »; 8, 3: « At ubi infans templo exhibetur, quis illum in manus suscipit? ... "Vir iustus et cautus", et utique non digamus, *vel ne dignius mox Christus a femina predicaretur ueteri uidua et uniuria* »; 8, 7: «(*Christus*) semel apud unas nuptias coenat multis utique nubentibus. *Totiens enim uoluit celebrare eas quotiens et esse* ».

Profecto Tert. « si vale di tutti gli artifizi della sofistica e della retorica, anche dei più vietati e triti, sì da ingenerare qualche volta fastidio » (M. SIMONETTI, *La letteratura cristiana antica greca e latina*, Firenze 1969, p. 156).

¹² Cf. H. KELLNER-G. ESSER, *Ueber die einmalige Ehe*, « Bibliothek der Kirchenväter » [24], Kempten-München 1916, p. 474: « Die Haeretiker schaffen das Heiraten ab, die Psychiker vermehren es »; et C. MORESCHINI, *Opere scelte di Q. S. F. Tertulliano*, Torino 1974, p. 1025: « Gli eretici eliminano le nozze, gli psichici le ripetono ».

Christum quidem virgo enixa est, semel nuptura post partum,¹³ ut uterque titulus sanctitatis in Christi censu¹⁴ *dispungeretur*, per matrem et virginem et univiram »,¹⁵ et multa alia exempla quae sequuntur. Quo in loco verbum *dispungere* haud facile est intellectu. Apud Tertullianum tres habet — quod sciam — praecipuos sensus, i.e. 1) « *complere* », 2) « *examinare* », 3) « *repensare* ».¹⁶ Idem H. Hoppe, in eodem opere, huic verbo primam tribuit vim, qui ita est interpretatus: « die zwiefache Heiligkeit *vollendete* sich in Christi Abstammung ».¹⁷ Hunc alii docti viri sequuntur, ut H. Hellner - G. Esser (« damit die beiden Titel der Heiligkeit in der Abstammung Christi sich *vollenden* sollten »¹⁸) et C. More-schini (« perché l'uno e l'altro motivo di santità *si compisse* nel-

¹³ Locus hic vexatam illam attingit quaestionem de Mariae virginitate *in partu* et *post partum* apud Patres. Quam negat — ut probe scimus — Tertullianus (cf. *Carn. Chr.* 23, 2: « *virgo quantum a viro, non virgo quantum a partu* »; *ib.* 23, 3: « *si virgo concepit, in partu suo nupsit* »), quo plenius perfectam Christi humanitatem confirmet adversus haeresim quam *docetismum* appellant, a Marcione quoque susceptam, quae Christo, ut « *phantasmati* » (*Marc.* III, 11, 8), « *corpulentiam* » tantum « *putativam* » (*ib.* 11, 1) — ideo et « *nativitatem putativam* » (*ib.* 11, 4) — attribuit. « Thus — ut ait I.C. PLUMPE (*Some Little-Known Early Witnesses to Mary's Virginitas in partu*, in « *Theological Studies* » 9, 1948, pp. 568-569) — what the fear of unintentionally and unavoidably furthering the archenemy's doctrinal claims apparently had caused to remain more or less unmentioned and unasserted for more than a century, was now sacrificed: Mary was really a mother, so much so that she lost her virginity in her childbearing. It was the case of an exaggerated realism put forth in behalf of the real Christ ».

Bibl.: G. BAREILLE, s.v. *Docètes, Docétisme*, in « *Dict. de Théol. Cath.* » IV, 2 (1924); E. DUBLANCHY, s.v. *Marie*, *ibid.* IX, 2 (1927); H. KOCH, *Adhuc Virgo*, Tübingen 1929; Id., *Virgo Eva-Virgo Maria*, Berlin 1937; I. A. DE ALDAMA, *Semel nuptura post partum*, in « *Sacris Erudiri* » 14 (1963), pp. 34-39.

¹⁴ Hoc in loco *census* idem valet quod « *origo* »: cf. quoque 5, 5 (« *census* noster transfertur in Christum »; « *videamus an id ipsum debeas huic ... censui secundo* »); 5, 7 (« *in Christo novans censem* »); v. H. HOPPE, *Op. laud.*, p. 119 (*census* = « *Ursprung* »).

¹⁵ *Monog.* 8, 1-2.

¹⁶ Cf. I. H. WASZINK, *Tert. De Anima, edited with Introd. and Commentary*, Amsterdam 1947, p. 294: « this verb, which occurs from Velleius downwards, and in general is rarely found, is used 23 times by Tert. (Th.L.L. 1437, 10 ss. ...). Three different significations are found in his works: a) absolvere, complere ... b) examinare ... c) repensare ... ». Cf. etiam H. HOPPE, *Op. laud.*, p. 130: « *dispungere* ist wie auch expungere ein bei T. sehr beliebtes Wort; es bedeutet 1. (so auch bei Juristen und anderen späteren Schriftstellern) prüfen, revidieren ... 2. vollenden, beendigen ... 3. vergelten ... ».

¹⁷ *Op. laud.*, p. 130.

¹⁸ *Op. laud.*, pp. 493-494.

l'origine di Cristo per mezzo di una donna che fosse madre e vergine e univira »^{19).}

Nunc, si alia exempla eiusdem capituli quis recenseat, in hoc quidem apertius patet Nostrum insistere, in « praedicando » vide-licet. Quare haec legimus ac similia: « (occurrunt monogamia et continentia) alia placans Deum, alia *praedicans* Christum, alia totum *praedicans* sacerdotem, alia plus preeferens quam propheten, scilicet eum qui non tantum *praedicauerit* ... verum etiam baptizaverit Christum »;²⁰ « At ubi infans templo exhibetur, quis illum in manus suscipit? ... Vir iustus et cautus, et utique non digamus, vel ne dignius mox Christus a femina *praedicaretur* vetere uidua et uniuira »;²¹ « (Christus) semel apud unas nuptias coenat ... Totiens enim uoluit *celebrare* eas quotiens et esse ».²²

Quam ob instantiam verisimilius mihi videtur hic verbum *dis-
pungere* tertio sensu (i.e. « repensare ») esse intellegendum, elatiore quidem (i.e. « probare », « celebrare », « praedicare »), ut iam nonnulli senserunt.²³

* * *

Paulo infra²⁴ locum ad primam S. Pauli epistulam ad Corinthios (9, 4 et 6) spectantem (« At ubi ea subiungit quae de uictuaria exhibitione abstinentiam eius ostendunt, dicentis: *Non enim potestatem habemus manducandi et bibendi?* ... ») sic Claudio Moreschini italice vertit: « Ma quando soggiunge quelle parole che mostrano la sua astinenza a proposito del mostrare tutti i cibi ... ».²⁵ Quam interpretationem nemo est quin videat omnino esse reicien-

¹⁹ *Op. laud.*, p. 1041.

²⁰ *Monog.* 8, 1.

²¹ *Ib.* 8, 3.

²² *Ib.* 8, 7.

²³ F. OEHLER, *Q. S. F. Tertulliani quae supersunt omnia*, I, Lipsiae 1853, p. 772c (dispungeretur / « hoc est probaretur »); V. P. LE SAINT, *Op. laud.*, p. 86 (« The reason for this was that both types of chastity might be exalted in the birth of Christ, born as He was of a mother who was at once virginal and monogamous »); A. GUDEMAN, s.v., Th. L. L. V, 1, 1437, 32. Cf. alia exempla apud Tert., *An.* 33, 1: « animae humanae ... si demutantur, non ipsae dispungentur quae merebuntur »; *Carn. Chr.* 5, 7: « quae proprietas conditionum, divinae et humanae, aequa utique naturae cuiusque veritate *dispuncta est*, et spiritus et carnis »; *Res.* 56, 1: « quam absurdum ... aliam substantiam operari aliam mercede *dispungi* »; *Exh. cast.* 2, 3: « quae (*Deus*) vult et praecepit et accepto facit et aeternitatis mercede *dispungit* ».

²⁴ *Monog.* 8, 6.

²⁵ *Op. mem.*, p. 1042.

dam, quippe quae nullo pacto Paulinae pericopae congruat, ubi vero de Apostoli iure abstinendi a victu parando agitur. Adice alium quoque locum qui nobis occurrit in extremo prope libello: « Quid, si inopiam quis causetur, ut carnem suam aperte prostitutam profiteatur, *exhibitionis* causa nubentem, oblitus de uictu et uestitu non esse cogitandum? ».²⁶ Quem si cum simili loco comparamus opusculi *De exhortatione castitatis* inscripti, clarius comprobabitur interpretatio quam supra illustravimus:²⁷ « praetendimus necessitates adminiculorum: domum administrandam ... *victum procurandum*, curas communicandas ... ».²⁸ Unde plane colligi potest *victuariam exhibitionem* idem valere quod « *victus compensationem* ».

RENATUS UGLIONE

²⁶ *Monog.* 16, 2.

²⁷ In qua fere omnes interpretes, praeter C. Moreschini, consentiunt: cf. H. KELLNER - G. ESSER (*Op. mem.*, p. 495): « Aber da, wo er seinen Verzicht auf Gewährung des Lebensunterhaltes klarlegt ... »; V. P. LE SAINT (*Op. mem.*, p. 87): « Then he shows that what he is referring to is his non-use of a means of providing for his bodily sustenance »; G. MEYER (Th. L. L., s.v., V, 2, 1435, 9-10).

²⁸ *Exh. cast.* 12, 1.